

# M E L I S S A

## EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Editrix Responsalis: Diana LICOPPE - avenue de Tervueren, 76-1040 BRUXELLIS

TEL: 02/ 734 55 42


### DE EDUCATIONE OCCIDENTALI IN SUMMO DISCRIMINE VERSANTI

Cum post secundum bellum mundanum Europa iacet sub ruinis a se ipsa editis, Europaei Occidentales, impotentes et demissi, spectant ad victorem Americam, quam iam inde pro uno exemplo in omnibus rebus habent. Exeunte sexto huius saeculi decennio, restituta prosperitate oeconomica Europaea, Europaei Americam admirari pergunt; sunt sapientes, qui monent Americanos in rebus technicis Europaeos tantum antecedere (technological gap), ut iterum aequari vix possint. Quare magna mutatio facta est in institutione, ut exemplo Americano similior fieret.

Quid hodie ipsi Americani fatentur de effectibus sui educationis systematis? Effectus sunt terribiles: ante decem annos Foederatae Civitates Americae Septentrionalis maiorem pecuniam egentibus populis credebant quam ulla natio in orbe terrarum; nunc Americanis tantum est aes alienum, quantum nulli nationi umquam fuit in tota generis humani historia. Inter priores decem orbis terrarum argentarias, nulla est Americana, omnes Iaponicae. Ante

quindecim annos Americani creabant septuagenas quinas partes (75%) novarum rerum technicarum, ante quinque annos, tantum 50% et mox, ut iam patet, vix 30% creabunt.

Iuvenum Americanorum circiter 17 annos natorum 60% vix nonnullas paginas libri scholaris vel paucos diarii paragraphos legere valent; vivunt in televisionis quadro, mente vacua, animo dissoluto. Ante decem annos, 70% iuvenum Americanorum erunt illitteratae (scripsit Marvin Cetron). Americani, qui sunt tantum 5% orbis terrarum incolarum, dimidiam partem cuncti cocaini producti consumunt. Tanta cladis qualis est causa? Oriuntur voces in America, quae clamant cladem oriri ex educationis molli-tia atque institutionis depravatione. Mores, aiunt, sunt mutandi, quia Americani aequo Marte aemulari non possunt cum Iaponibus, quibus est educatio severa, institutio dura et selectio inexorabilis.




QUID DICET MUS QUI LIBRAS PONDERIS  
SESCENTAS ET MILLE EXSUPERET?

“HUC, HUC O FELES AD ME VENI, HUC,  
HUC, O MI FELES.”

*Hae facetiae excerptae sunt e libro, quem amicus noster Iohannes Albertus Moreno-Tortuero ex America ad nos benigne misit: J. FARRIS, L. PHILLIPS, S. SHECHTER, The Latin Riddle Book, New York, Harmony Books, 1988.*

Utinam ex his rebus Europaei capiant documentum.

Gaius LICOPPE



## Sappho Latina

Pulcherrimum forsitan ex omnibus Graecorum carminibus lyricis est hymnus, quo Sappho deam Venerem invocat, ut sibi subveniat. Cum ex ceteris poetriae carminibus fragmenta maiora aut minora habeamus, hoc nobis integrum remansit. Nullam huius carminis Latinam versionem cognovi. Interpretationem meam, ubi quam fieri potuit fidelissime Graeca Latine reddidi, iam aestate anni 1983<sup>i</sup> perfecti. Ferias tum agebam aestivas in Carelia septentrionali iuxta lacum amoenum, ubi sedulo piscabar, potius tamen ad tempus terendum quam ut piscium copiam captarem. Cum pisces in profundo lacu dormientes piscatoris hamum perraro peterent, sole mirifice splendente hymnus ille Sappūs, quem totiens lectum memoriter sciebam, venit mihi in mentem et coepi mecum cogitare, quo modo eundem Latine verterem. Itaque in lacus litore stans, arundinem piscatoriam manibus tenens, totum hymnum paulatim his verbis transtuli, sed nunc primum publici iuris facio:

O Venus, diva alma, throno in decoro  
 quae dolos nectis, love nata, te oro,  
 ne meum curis animum fatiges  
 neve dolore,  
 sed veni huc, si quando alias mihi ante,  
 audiens vocem procul, obsecuta es,  
 aureo tectoque patris relicto  
 ipsa adiisti  
 vecta curru; te nitidi ferebant  
 per nigram terram celeres olores,  
 firmiter pinnis superis ab auris  
 deveniebant  
 non morantes, tuque, beata, ridens  
 ore divino mihi, qui, rogasti,  
 pectus urgeret dolor, invocarem  
 cur ego rursus,  
 quid furens vellem, mihi ut eveniret,  
 maxime, "quocum cupis, ut te amore  
 coniuget Suadela, tibi que, Sappho,  
 quis malefecit?  
 Namque si fugit, cito te sequetur,  
 dona si non vult, fit ut ipsa donet,  
 non amat si te, cito te iam amabit,  
 etsi ita nolit."  
 Advenito et nunc, gravibusque solve  
 pectoris curis, mihi quod futurum  
 mens avet votis, facias et ipsa  
 tu socia esto!

Ποικιλόθρον' ἀθανάτ' Ἀφρόδιτα,  
 παῖ Δίος δολόπλοκε, λισσομαί σε,  
 μή μ' ἄσαισι μηδ' ὄνιαισι δάμνα,  
 πότνια, θυμον,  
 ἀλλὰ τίιδ' ἔλθ', αἶ ποτα κἀτέρωτα  
 τᾶς ἕμας αὐδῶς ἀτοῖσα πήλνι  
 ἔκλυες, πάτρος δὲ δόμον λίποισα  
 χρύσιον, ἦλθες  
 ἄρμ' ὑπασδεύξαισα, κάλοι δέ σ' ἄγον  
 ὤκεες στρουθοῖ περι γᾶς μελαίνας  
 πύκνα δῖνεντες πτέρ' ἀπ' ὠράνωϊθε-  
 ρος διὰ μέσσω,  
 αἶψα δ' ἐξίκοντο, σὺ δ', ὦ μάκαιρα,  
 μειδιαίσαισ' ἀθανάτῳ προσώπω  
 ἦρε', ὅττι δηῦτε πέπονθα κῶττι  
 δηῦτε κάλημμι  
 κῶττι μοι μάλιστα θέλω γένεσθαι  
 μαινόλαι θυμῳ, τίνα δηῦτε Πείθω  
 +μαῖσ'+ ἄγην ἐς σὴν φιλότατα, τίς σ', ὦ  
 Ψάπφ', ἀδικήει;  
 καὶ γὰρ αἶ φεύγει, ταχέως διώξει,  
 αἶ δὲ δῶρα μὴ δέκετ', ἀλλὰ δώσει,  
 αἶ δὲ μὴ φίλει, ταχέως φιλήσει  
 κωνὴκ ἐθέλοισα'.  
 ἔλθε μοι καὶ νῦν, χαλέπαν δὲ λύσον  
 ἐκ μερίμναν, ὅσσα δέ μοι τέλεσαι  
 θυμός ἰμέρρει, τέλεσον, σὺ δ' αὐτα  
 σύμμαχος ἔσσο.

(Edidit Max Treu, 1958)

Ut in dearum deorumque invocationibus antiquis fieri solet, hymno incipiente Venus multis epithetis nomini eius adiunctis celebratur. Deinde eadem oratur, ne precantis animum amplius fatiget, sed ita auxilio veniat, ut iam antea fecit, i.e. si verum est, quod olim poetriae subvenit, ita nunc quoque eidem auxilietur. Maximam hymni partem obtinet commemoratio beneficii quondam a dea accepti: quomodo dea oloribus vecta iter fecerit, quid ridens interrogaverit, quid tum promiserit. Ultima hymni stropha (*Advenito et nunc*) repetit invocationem iam versu quinto expressam (*sed veni huc*) eamque in finem ducit, ita tamen, ut animi motus precantis, quamvis curis adhuc gravibus urgeatur, iam sedatiores appareant.

Thomas PEKKANEN  
 Helsinkiensis



# QUALIS DIFFERENTIA SIT INTER SERMONEM HEBRAICUM ANTIQUM AC HODIERNUM

"The language of the Mishnah stands in a much closer connexion with real life and has a definite *raison d'être*; all later Hebrew is to be classed with medieval and modern Latin. The dream of some Zionists, that Hebrew - a would be Hebrew, that is to say - will again become a living, popular language in Palestine, has still less prospect of realization than their vision of a restored Jewish empire in the Holy Land." (Th. Nöldeke, *Semitic Languages*, *Enc. Brit.* 11<sup>a</sup> editione, anno 1911<sup>o</sup>).

("Stat lingua Mišnaica in artiore connexione cum vita reali scilicet quam lingua biblica habetque igitur veram rationem essendi; omnis autem sermo Hebraicus posterior habendus est sicut latinitas mediaevalis vel modernus. Ergo somnium, quod sibi fingunt nonnulli sionistae, hebraicitatem - scilicet, sermonem qui se Hebraicum esse velit - posse olim fieri linguam vivam et popularem in Palaestina, hoc somnium dico, etiam impossibilius esse factu, quam id alterum reipublicae Iudaeae restitutae in Terra Sancta.")

Est notatu dignum quia cum haec verba scripta sunt, tunc temporis iam inveniebantur in Palaestina aliquot iudaei iuvenes loquentes Hebraice ut sermone primo, e.g. filius primogenitus Eliezer Ben Yehudah, tum fere XX annos natus.

Lingua Hebraica unica est inter omnes linguas orbis terrarum propter duas res: nulla alia lingua tot saecula est in usu, nec est alia, quae olim mortua tot saecula in sepulcro manserit et postea artificialiter sit revocata ad vitam; utinam valeat revivere etiam latinitas!

Nimirum non potest lingua tam diuturna esse uniformis, et iam in libris Bibliae invenimus dialectos differentes, unde quaedam, sermoni Mišnaico propiores, plerumque habentur pro posterioribus: condebatur enim Biblia per spatium fere mille annorum. Mišnah, vel Mishnah, est compilatio opinionum rabbinorum, qui inter primum saeculum a.Ch.n. et alterum p.Ch.n. vixerunt. Hic liber, qui res religiosas ethicas legales tractat, fere anno 200<sup>o</sup> p.Ch.n. conscriptus est sermone Hebraico qui a biblico multimodis diverso est colloquialior quam litterarior, continetque plura verba adventicia, quorum pars maior est Graeca, minor Latina, sed permulta etiam Aramaica, quae tamen difficillora sunt perspectu, cum sit structura ambarum linguarum Semiticarum simillima. Ab hoc libro dialectus nomen Mishnaicum accepit, sed exstant etiam alii libri hac dialecto conscripti. Post aliquid temporis, quam hae disputationes rabbinorum litteris sunt mandatae, evanuit sermo Hebraicus ex vitae cottidianae usu, quum locum eius occuparet lingua Aramaica, quae olim vigeat ab Aegypto usque ad Indiam occidentalem-septentrionalem. At tamen perseveraverit in usu liturgico sermo Hebra-

icus, et Iudaei eruditi numquam libros necnon etiam epistulas usque ad dies nostros Hebraice condere desierunt. Interdum vero etiam adhibebatur ad sermonem conserendum cum convenirent Iudaei quibus deerat alia lingua communis, quae res communicationem inter Europam christianam et mundum islamicum faciliorem reddebat. Haec lingua mediaevalis ex mistura constat sermonis biblici cum illo Mishnaico, et interdum adest admixtio sermonis Aramaici, ut non raro inveniamus textus habentes sententias quarum principium est Hebraicum, medium autem Aramaicum, finis tandem iterum Hebraicum, quod genus scribendi in Francia erat crebrum, nec caret elegantia propria.

In pronuntiatu fere idem quod latinitati etiam linguae Hebraicae evenit, cum in diversis regionibus orerentur innumerabiles pronuntiatu, qui nonnumquam ita inter se differebant ut interdum alii alios intellegere nequirent; unde orta est consuetudo adhibendae pronuntiationis illorum Iudaeorum, quibus lingua materna Hispanica est, ubi opus fuit sermonis colloquiis communis, quod praecipue fiebat in Palaestina, ubi habitabantur Iudaei qui in vita cottidiana sermones tam diversos adhibebantur sicut Iudaicum-Theodiscum (Judendeutsch, Jiddisch), Hispanicum, Arabicum, Persicum, Tataricum. Cum sionistae post annum 1880<sup>um</sup> affluere in Palaestnam inciperent, hanc consuetudinem acceperunt; pronuntiatu "sephardicus" nuncupatur, a vocabulo *Sepharad*, i.e. Hispania; sed cum maior pars Iudaeorum sit *'ashkenazim*, i.e. Germani, homines ignari inceperunt omnes alios sepharditas appellare, tam, quia multi inter eos, etiam ei qui non ab Hispania originem trahunt, liturgiam Hispanicam asciverunt, quam quia Europaei pro hominibus rassae superioris habebantur, orientales igitur pudibundi se Hispanos esse mentiebantur. Sed non est unus pronuntiatu sephardicus unicus, quia nonnulli Iudaei ex Hispania expulsi in Africa septentrionali consederunt, ubi linguam Arabicam loqui inceperunt, alii autem in Turciam et Graeciam migrati non desierunt loqui Hispanice usque ad dies nostros. Habet autem hebraicitatem nonnulla phonemata specialiter Semitica, quae proferre non valent Europaei, sed in lingua Arabica bene servantur, unde fit ut distinctio inter *q* et *k*, vel inter *'et'* non audi solet nisi ab ore oriundorum e nationibus Arabicis; at ego quidem, ut qui aliquantulum Arabice didicerim, has distinctiones servare soleo, ob hanc rem nonnumquam in Palaestina ab Israelianis increpatus sum, cum loquerer "sicut illi Iudaei Arabi pauperes et contemnendi!"

Quibusdam sionistis fanaticis exceptis, pergunt il Iudaei quorum lingua materna alia est quam Hispanica adhibere pronuntiatu suum translaticium quum orent vel textus sanctos legant. Libri orationum et Bibliae punctis vocalibus instruuntur, necnon

punctis geminationis et qui differentiam inter b, g, d, p, t occlusiva aut spirantia (bh=v, ph=f, etc.) indicant, nam alphabetum Hebraicum non continet nisi litteras consonantes, quia quamdiu lingua erat in usu cottidiano, opus non erat vocales indicandi, cum is, qui linguam scit, etiam quomodo verba sint legenda non ignoret. Cum autem lingua fieret liturgia ac litteraria tantum, necessitudo constringente, excogitati sunt hi puncti, qui aut supra, aut in, aut sub litteras consonantes ponuntur, inter saeculum sextum et octavum p.Ch.n. At hoc systema non adhiberi solet nisi in Bibliae exemplaribus ceterisque textibus ubi opus est subtilitatis singularis, sicut dictionariis etc., cum textus sine punctis vocalibus facilliter intellegantur, sed recte eloqui non valet nisi qui normas intricatas grammaticae Hebraicae bene edidicerit, unde fit ut omnes Israeliani perpaucis exceptis in unaquaque sententia pronuntianda errores faciant, quamvis pronuntiatu sepharditicus multa phonemata vocalica eodem modo proferat, v.g. é et è ambo ut è pronuntiantur. Eodem modo non observatur distinctio vocalium longarum et brevium, non tantum in pronuntiatu Israeliano, sed etiam in multis translaticis, qua re multo facillior fit locutio; similiter de spirantizatione litterae g et d et t; haec ultima a Iudaeis Europaeis ut s profertur in pronuntiatu translaticio, cum non valeant th (sicut in vocabulo Anglico *thin*) pronuntiare, ab omnibus autem Israelianis, nisi in orationibus lecturave sanctorum scriptorum, semper t. Perpauci tamen academici, sicut ego, utuntur pronuntiatu restituto, satis simili illi Iudaeorum Iraquorum, paucis rebus Iemenitarum.

Necessitas condendi verborum non est aliquid novi, nam etiam in aetate media multa opera philosophica a sermone Arabico in Hebraicum versa sunt, necnon multa scientifica et mathematica, ut opus esset vocabularii locupletandi, et ineunte moderna aetate magis magisque, cum superiore saeculo commentarii periodici in lucem edi coeperentur. Sed haec necessitas numquam antea tam fortis fuit, quam cum sionistae fundamenta novae reipublicae in Palaestina iacere inciperent, unde fit ut si quis sermonem biblicum et Mishnaicum bene sciens sed nondum moderno imbutus conatur acta diurna legere, multa inveniat verba incognita et dictionarium adhibere cogatur. Habeo ante oculos exemplar diurnorum Israelianorum, et uno in paragrapho quinquaginta sex verba continent, octo sunt nuperrime fabricata. Nonnumquam tamen possunt significationes talium verborum divinari, quia a radicibus Hebraicis vel Aramaicis veteribus derivata sunt secundum normas iam in lingua biblica Mishnaicave usitatas, quarum nonnullae autem antea utique raras hodie factae sunt frequentissimae. Facilliter ergo divinari potest "morbum caninum" hydrophobiam esse: *kallèbhèth*, de *kèlèbh*, "canis" (cf. Francice *clebs*, ab Arabico!), cum nomina morborum soleant hanc praebere formam: 1<sup>a</sup> consonans + a + 2<sup>a</sup> consonans geminata + è + 3<sup>a</sup> consonans + è + th; v.g. *sukkèrèth*, "morbus saccharinus", i.e. diabetes mellitus. Hoc autem exemplo videmus quam debilis sit scientia grammaticae Hebraicae apud Israelianos: nam secundum normam, rectum sit *sakkèrèth*; sed *sukkâr*, "saccharum", vox mutuata est, et Europaei solent habere etiam vocales pro partem radicis.

Verum tamen non fuit accomodatio antiquissimi sermonis Hebraici ad usum modernum tantum inventio novorum terminorum technicorum: agitur res de transformatione linguae civilisationis orientalis vetustae religiosae, ut homines occidentales moderni infideles (vel saltem materialistae) illa uti possint ad suas proprias ideas exprimendas; quae transformatio ad illas conferri potest, quibus latinitas lingua christiana facta sit, vel lingua palaeotheodisca (Althochdeutsch) et lingua christiana et lingua litteraria redita est (v. Ch. Mohrman, *Latin vulgaire, latin des chrétiens, latin médiéval*, Paris 1955; et Werner Betz, *Deutsch und Lateinisch: die Lehnbildungen der althochdeutschen Benediktinerregel*, Bonn 1949). Unde fit ut nonnumquam lingua Hebraica moderna nova verba excogitata antiquorum loco adhibeat: cum, v.g. homines moderni senes contemnant, verbum "senem" respuentes novo ac nuperrime excogitato ex radice "maturum" significanti utantur - *mebhuggâr*. Nec habebant veteres Hebraei verbum significans "sexum" secundum sensum modernum - "sexe" Francogallice: sed cum homines moderni sine hac re nullo modo vivere possint, antiquo vocabulo antea "genus" significanti novum dederunt sensum: *mîn*, unde fit *mîni*, "sexualis" et *mîniyûth*, "sexualitas".

Porro quinque rationes in verbis novis condendis adhibentur. Saepe enim verba ex aliis linguis mutantur sine ulla mutatione formae, sicut nuper audivi in sermone radiophonico brevibus undis Hierosolymis emisso de *qômîqs* disseri (i.e. Anglice "comics", Latine "nubeculata"; desinentia pluralis Anglica servatur). Alias autem, cum "nubeculata" Hebraice dicere velint, nihil habent nisi periphrasin quae "fabulas imaginibus instructas" significat (*sippûrîm meçuyyârîm*), non satis subtiliter.

Altera ratio constat e mutatione adventicii verbi qua ei aut Hebraica forma aut saltem desinentia attribuitur: ita audivi turistam Israelianum Londinî de museo quodam loquentem dicere id esse *qômpaqtî* (anglice *compact*); additur adiectivo Anglico suffixum Hebraicum cuius munus est adiectiva de nominibus facere! Alia exempla sunt: *pistêr* (pasterionare, pasteurizare), *tilpên* (telephonare), etc.

Tertia autem ratio datur verbo Hebraico iam existenti nova significatio, ut supra iam memoravi; en cetera exempla: *tôtâh*, quod in Vulgata "malleus" vel "clavus" redditur, hodie "cannonem" (tormentum bellicum) significat; *môsçêsh*, antiquitus "scandalum", hodie "narca, mina"; et tandem *môlèdhèth*, antiquitus "cognatio" vel "terra natalis", sed hodie "patria": sionistae asseverant Palaestnam esse omnium Iudaeorum patriam, etiam illorum qui ibi numquam iverunt nec ire volunt.

Quarta et quinta ratio constat e derivatione verborum novorum a radicibus Hebraicis vel Aramaicis: quartam rationem dico qua novum verbum subtiliter et fidelissime significationem vertendi adventicii verbi reddit, v.g. de *kirnôr*, "violina" (ab antiquo verbo eandem formam praebenti, sed "citharam" significanti), formatur *kannâr*, "violinista". At quinta ratione redditur novum verbum associatione idearum: *kallèbhèth*, "morbus caninus" pro "hydrophobia"; en aliud exemplum, quintam et quartam rationem simul monstrans: "aeriportus" vertitur *nemal te 'ûphâh*, ubi *nemal*, vocabulum Mishnaicum a Graece *λιμήν* deriva-

tum fidelissime "portum" reddit, sed *te 'ūphāh*, a radice veteri *'ūph*, "volare" significanti formatum, non "aeri-" reddit, sed "commeatum vehicularium aeronauticum" (Anglice "air transport") significat.

Hae omnes rationes verba nova condendi iam in lingua biblica vel Mishnaica vel saltem mediaevali inventuntur - etiam sermo biblicus multa verba Aramaica Aegyptica Persica Babylonica Sumerica Arabica praebet - sed non tam frequenter adhibentur quam in lingua moderna; sed maxima differentia inter modernum atque antiquum sermonem est in syntaxi et eo, quod Theodisce *Stilistik* vocatur: attamen est interdum difficillimum decernere quid sit sermo Hebraicus modernus emendatus et quid soloecismus: etenim est schola conservativa, quae pro soloecismis habet omnes mutationes nisi necessarias, at etiam existit schola progressiva, quae opinatur linguam Israelianam utique aliam esse quam Hebraicam antiquam: recta esse omnia, quae populus dicat. At memorandum est numerum civium Israelianorum in Palaestina natorum ideoque linguam Hebraicam ut primam maternamque linguam scientium non ante bellum de sex diebus nuncupatum superasse numerum aliunde immigratorum, quo fit ut lingua traductionibus nimis litteralibus a peregrinis sermonibus abundet, ita ut non false Th. Nöldeke de "sermone, qui se Hebraicum esse velit" scripsisse videatur. Saepissime ergo fit, ut ubi duo modi possibiles dicendi praesto adsunt, rarior sed facillor eligatur, difficilliore tamen neglecto, etiam cum multo sit usitatior, unde nascitur lingua Hebraica sapore Hebraico carens, sicut v.g. accidit de suffixis pronominalibus genitivis: nam "domus" dicitur *bayith*, "domus mea" autem *bēthi*, et "domus Abrahae" *bēth 'abhrāhām*, sed existit etiam rara locutio, ubi *schēl* munere particulo Francogallico *de* ad relationem genitivam indicandam fungitur, qua necessitas formas mutationum sciendi verborum vitatur, dicunt ergo hodie paene omnes non *bēthi* sed *habbayith shēlli* (*hab-* est articu-

lus finitus). Attamen non dubito asseverare talem locutionem parum esse Hebraicam. En aliud exemplum: "servabo" dicitur *'eshmōr*; sed cum multae linguae Europaeae modernae verba non coniugent nisi pronomine nominativo praefixo, sicut *je garderai*, *ich werde hüten*, *I will keep*, etiam in Hebraice loquendo orta est consuetudo dicendi *'ani 'eshmōr*, quae locutio tamen in vetere lingua inventur, sed significans "ego servabo" (intellegatur: "sed non alii..."). Hic error, opinione mea gravissimus, plane universalis factus est; ad quem errorem etiam alter accedit, sed non universalis tantumque in ore inscientium inventus: *'ani yishmōr*: *yishmōr* = "servabit", ita sic: "ego servabit"! Si ergo sermo Hebraicus diu in usu permaneat colloquiali (quod ego autem valde dubito fore), nascatur nova lingua, sicut linguae neo-latinae a latinitate vitata, vel neo-hellenica.

Ad ea quae supra meminimus accedit copia ingens sermonis perplexi (Anglice *slang*) tam a linguis alienis oriundi quam origine obscura, v.g. ut si quis Latine dicere audeat (absit omen!) "moriens sum pro glacie edibili" (= *I am dying for an ice cream*) vel "terribiliter gaudeo" (= *I am terribly glad*). In hoc sermone, qui "se Hebraicum esse vult", inventiuntur talla saepissime.

Ad finem anecdotam referre volo, quam hodie in actis diurnis Israelianis Anglicis The Jerusalem Post legi: "Abhinc multos annos scripsit relator Londinensis actorum diurnorum Tel-Aviviensium honoratorum de exhibitione fabulae theatralis a Thornton Wilder conscriptae c.t. *The Skin of our Teeth*, negans fieri posse ut haec anglicitas idiomatica Hebraice reddatur. Sed ecce origo locutionis Anglicae in libro Iob xix. 20! (Est versus obscurus, quem alii aliter interpretantur: sensus locutionis Anglicae est "salvari in extremis", sed Vulgata habet: "Pelli meae, consumptis carnibus, adhaesit os meum, Et derelicta sunt tantummodo *labia circa dentes meos*). Dixi.

David L. GRESHAM

## DE NOVIS LIBRIS

**Iosephus MALL, Latinitate optima originali. Docet discas linguam Latinam 5.500 formulis, verborum lusibus, sententiis, electis e poetis locis, ed. Manfrini, 1988.**

"Liberemus denique institutionem linguae Latinae e vinculis, reddamus linguae mortuae statum linguae vivae, ut lingua Latina vere tamquam lingua denuo sentiatur!" Auctor, quod his aliisque verbis profitetur se vivae institutioni linguae Latinae favere cooperarique velle, valde dignus est qui laudibus feratur. Postquam triginta annos ad hunc scopum laboravit, Iosephus Mall Athesinus, doctor philologiae atque studiorum rector, longā institutionis linguae Latinae experientia praeditus, nobis lectoribus proponit thesaurum locutionum Latinarum quod magistris discipulisque sit auxilium.

Hoc opus in grammaticorum librorum modum divisum est: nam sententiae in capitula distributae sunt prout pertinent ad morphologiam vel syntaxin il-

lustrandam, velut adverbiorum formationem, coniugationes, genitivum obiectivum, gerundivum, accusativum cum infinitivo, enuntiata interrogativa aliis subiecta, ablativum asolutum etc. His de rebus plurimae praebentur sententiae quae, cum facile memoria teneri possint, certe emolumento sunt grammaticae addiscendae. Aliquot exempla de gerundivo exhibeamus: pacta sunt servanda / tamen est laudanda voluntas / metuens magis quam metuendus (Sall.) / si vultis nihil timere, cogitate omnia esse timenda (Sen.) / utendum est aetate (Ovid.)... In his ediscendis linguaque Latina docenda, auctor poesis plurimi facit.

Lectoribus sine dubio placebit has locutiones formulasque, saepe breves, semper vivas, sive antiquas sive recentiores, notas vel novas, legere atque memoriae mandare.

Pretium: 35 DM, ad quod accedunt expensae cursuales. Liber apud auctorem peti potest: Dr I. Mall, Oberer Eulenberg, 100 - D-7305 Altbach.



# SIMPLICISSIME

*quomodo varia exprimantur*

## DE MURO BEROLINENSI

Die 11° m. Martii a° 1989° sodales Societatis Latinae Berolinum ad consessum annum invitati sunt. Nos Belgae autocineto fecimus iter octingentorum chiliometrorum inter quae - postquam in limine licentiam transeundi satis diu expectavimus - circiter ducenta chiliometra in territorio Germaniae Orientalis emensi sumus. Viator, cum hanc ultimam itineris partem facit, diligenter curat ut lento gradu vehatur: nam vigiles publici viam attente custodiunt. Cum tandem advenit, Berolinum (Occidentale scilicet!) ei videtur insula felix in tristi mundo communis-tico.

Urbs muro 45 chiliometra longo divisa est; partem occidentalem intrare vel relinquere non est tam facile. Berolinenses quidem huic conditioni adsuefacti sunt, sed nos extranei, quibus consuetudo est quolibet ambulare, mirati sumus quod tam difficile est limen transire. Nam notissimum museum invisere cupiebamus Berolino Orientali: inest pulcherrimum altare Pergameum. Ergo unicum praesidium, quo murum transgredi licet, adiimus. Nomen huius portae est "Check Point Charlie". Praetereuntes magna tabula monentur: "Cavete! Exitis e territorio Americano". In quoddam grapheum ducimur, ubi multi homines iam expectant. Omnes in manu habent syngraphum qui telonariis quinques vel sexies monstrandus erit. Unus post alterum in loculum separatum vocatur atque interrogatur: cur Germaniam Orientalem intrare cupiat, quantum temporis ibi manere velit, quae res secum afferat. Vir quidam rogatur ut saccum suum aperiat: omnia, quae insunt, attentissime examinantur. Duae Germanae sunt ante nos: eis profitendum est, quantum pecuniae habeant. Foliotheculam aperiunt, nummi schedulas numerant, in formula telonica numerum inscribunt. Sed non sufficit: fortasse pecuniam habent in fundis? Ah, recte suspicatum: multos nummulos habent. Parvi refert eos nullius pretii esse: etiam numerandi sunt. Dum ad vitam aeternam expectare videmur, mulieres numerant. Sed computatio telonario non videtur recta: iterum est numerandum. Denique, ut nobis etiam transgredi liceat, pecunia orientalis emenda est, quam postea mutare non iam poterimus.

Berolinum Orientalem intramus sicut alium mundum: aedificia sunt tristiora, saepe ruinoso; parva autocineta, quae in viis commeant, nobis sunt ignota; non sunt eadem ac nostra, sed fabricatione Germanica Orientali; si quis autocineto fabricationis occidentalis vehitur, dubium non est quin sit periegetes; in tabernis res nobis incognitae venumdantur: fragrantiae, exempli gratia, non sunt Francogallicae, sed

Bulgaricae; plurimi vigiles publici viam custodiunt: huc licet pedem ferre, huc non licet; vir quidam vehementer reprehenditur quod in crepidine addicto non ambulat.

Ad museum denique advenimus atque in alium mundum iterum intramus: videmur esse Pergami! Nam in magno conclavi totum altare Pergamo reportatum restructum est.

Salvi tandem Berolinum Occidentalem revenimus.

At Berolinenses, dum in parte occidentali manent, haec omnia non iam animadvertunt. Etenim se non sentiunt inclusos in territorio orientali, quia omnia habent in promptu: agros, viridaria, silvas, lacus, flumina. In ruinis belli congestis, qui formam trium collium praebent, instructi sunt horti publici, tabulae desultoriae pro nartatoribus, curriculum nivis artificialis. Berolinenses etiam litore interiore fruuntur, quod est maximum Europae. Nihilominus, quocumque te vertis, murum vides bene custoditum: pax adhuc longe abest.

Francisca DERAEDT



*Murus Berolinensis permultis inscriptionibus illustratus est*





## DE LOCUTIONIBUS "IDIOMATICIS"

Sunt omnibus linguis locutiones suae propriae, quae aliquid modo exprimuntur singularissimo, quae vero si sunt plene intelligibiles loquentibus illâ linguâ, contra fere incomprehensibiles (Quint.) esse videntur civibus alterius nationis, si ad verbum vertantur.

Si quis ergo eas cupiat vel debeat vertere Latine, oportebit, ut clare eluceat earum significatio, eas illa "icastica" et audaci veste exuere ac rem exprimere modo assueto et proprio loquendi.

Hic nonnulla velim exempla eiusmodi locutionum Italicarum offerre, quas conabor intelligibiles reddere pallidulis at perspicuis enuntiatis Latinis.

Si quid emitur magno pretio, dicere solemus: *mi è costato un occhio della testa*; fieret ridiculum et obscurum, vertere: "hoc mihi constitit (vel "hoc emi") oculo capitis"; dicemus ergo, e.g., "hoc emi ingentissimo pretio", vel "hoc mihi carissime constitit".

Cum aliquis nos affecit assiduâ molestiâ, eum tandem his aggredimur verbis: *Ora basta! Mi hai rotto abbastanza le scatole!* (= iam sufficit! Mihi iam satis rupisti capsulas!). Hic nobis succurrit Plautina locutio: "aures tundere"; sic ergo aggrediemur importunum: "Mihi satis aures tutudisti!" Quod verbum "tundendi" commode adhibetur etiam ad Latine reddendam Italicam locutionem *battere sempre sullo stesso chiodo* (= semper eundem clavum percutere), id est semper quiddam repetere; dicemus ergo: "eandem incudem semper tundere" (Cic.).

Si quis, pertaesus ad satietatem alicuius incepti, vult tandem omnia abrumpere et se ab omni vinculo solvere, sic rem significamus: *Vuol piantare baracca e burattini* (= vult deserere tabernulam scaenicam et pupulos). Latine sic res significari poterit: "Ille exoptat e munere suo tandem elabi".

Cum volumus detertere aliquem ne conetur prudentiorem reddere amicum vel eum a dubio incepto remove, illi dicimus: *Lascialo cuocere nel suo brodo!* (= sine eum coqui in suo iure!). Sic eum Latine alloquemur: "patere ut se gerat pro lubitu suo!".

Quotiens quis patefacit dolorem vel fictum vel serum propter facinora ab ipso imprudenter vel maligne patrata, eum sic solemus compellare: *Smetti di versare lacrime di coccodrillo!* (= desine tandem fundere lacrimas crocodilinas!). Quae locutio nascitur ex eo quod crocodilus dicitur, postquam praedam aliquam hausit, dum eam digerit, lacrimulam eicere ab oculis.

*Ha mangiato la foglia* (= manducavit folium) ille qui, vel a gestu vel a quodam verbo incaute elapso, intellexit aliquid contra se strui secreto, ideo se apparat ad defensionem. Vertamus: "laqueum sibi parari intellexit" vel "se peti insidiis animadvertit".

Sic plerumque significamus eos omnes qui suas opes stulte et large dissipant: *Hanno le mani bucate* (= habent manus foratas). Latine dicamus: "sunt inepte sumptuosi" vel "sunt sui stulte profusi" vel "sunt sumptui insipienter dediti".

*E' uscito dai gangheri* (= exiit e cardinibus) adfirmamus de illo qui, acri ira inflammatus, ad iurgia et clamores et incompositos gestus descendit (Caes.), quasi lymphaticus. Haec Italica locutio multipliciter significari potest Latine: "furenti iracundia occupari" vel "sinere se ira vinci effrenate" vel "insanis clamoribus iracundiam erumpere".

*Ha una bella* (iron.) *gatta da pelare* (= cogitur pellem detrahere a non facili fele); hoc facete dici solet de quodam, cui munus arduum et plenum aleae perficere pertineat. Latine verti potest: "ei est molestissimum negotium gerendum".

Cum aliquis secreta non equidem laudanda alicuius amici in medium profert, dicimus: *Ha scoperto gli altarini dell'amico* (= amici arulas detexit), id est "arcana erubescenda (vel dedecora) amici aperuit".

Ecce usitatissima vox: *Ma questo è un altro paio di maniche!* (= sed hoc est aliud par manicarum!), ut asseramus rem, de qua quis tangat, esse plane diversam ab ea de qua disseratur. Latine dicemus: "sed hic est quaestio de re longe diversa!".

De eo qui, conatus effugere quoddam detrimentum, incidit in peius, solet dici: *E' caduto dalla padella nella brace* (= cecidit a sartagine in prunam). Latini dicebant: "incidit in Scyllam, cupiens vitare Charybdim" vel etiam "ivit a fumo ad flammam" (Amm.).

Aliquid nobis proposuimus agendum, at nullum exitum habuimus; tunc, spe frustrati, maeste concludimus: *Ho fatto un buco nell'acqua* (= feci foramen in aqua). Latine sic res exprimatur: "operam et oleum perdidit", vel "male mihi cessit", vel "res ad irritum cecidit".

Aliquis optat nos de aliqua re nonnullius momenti certiores facere, at potius quam clare enuntiet, loquitur cunctabundus de rebus parum pertinentibus; ei ideo, cum quadam indignatiuncula, dicimus: *Non menare il can per l'aia!* (= ne duxeris canem per aream!); Latine autem sic eum reprehendemus: "desine tergiversari ac rem denique aperi!".

# AB OBLIVIONE VINDICETUR...

## RUDOLPHUS VAN OPPENRAAY



... POETA IDEMQUE PRAECO PATRIS DAMIANI DE VEUSTER

### AMOR

Hinc, lasciva Venus, cede hinc, lascive Cupido!  
Vos etiam, mollis, cedite, turba, procul!  
Aures nostra parum mulcebunt carmina vestras:  
sanctus, sanctus enim nunc celebrandus amor.  
Christe, tuos vati si fas cantare triumphos,  
spiritus ipse, precor, sit mihi Musa tuus.

Inter Americae gazas Asiaeque vireta,  
late Tranquillum qua silet usque Mare,  
ipsius in tepidae felici limite zonae  
caeruleis vernans innatat hortus aquis. 10  
Indigenis durum MOLOKAI habet insula nomen,  
quae fortunatam nomen habere queat.  
Ingentis surgunt hinc alba cacumina montis  
praecipitque ruens vortice spumat aqua;  
hinc vario properant valles descendere clivo  
aut per pingue levis murmurat unda solum;  
undique carminibus fragrantibus personat umbras,  
garrula quae tremulo guttore turba canit.  
Hic dare temperiem certant cum solibus aurae;  
numquam frigida nox, fervida nulla dies. 20  
Hic cum flore novo pendent ex arbore fructus,  
veris et autumnus sunt bona mixta simul.  
Quicquid in Elysii finxerunt sedibus umquam  
antiqui vates, hic paradisi habet.

Qui tandem populi campos coluere beatos?  
Anne Adae filius hic habitare licet?  
Heu, genus infelix istaec per amoena vagatur,  
heu, roseum tumulum funera viva tenent.  
Splendida crudelis sunt ista palatia Morbi,  
hic domat albentem lurida LEPROSA gregem. 30  
Qua circumspicias - durus qui sustinet ista -,  
formae hominum turpes turpia membra trahunt.  
Os turgens, patulae nares auresque ferinae;  
lumina foeda natant, tubera ubique tumet.  
Rimosum corpus non corpus, vulnus hiulcum;  
albedo nigrante in cute taetra magis.  
Carnes (horrendum!) pendentque caduntque peresae  
tormentisque comes non tolerandus odor.  
Luxuriae tandem malesanos adde furores,  
quos in carne putri morbo agitante flagrant. 40  
Hos si quando ausit festinus visere nauta  
daemones in caelo se reperisse refert.

Tristia tu solus cunctanter litora linquis  
nec festinus abis, o Damiane pater!  
Te, Damiane pater, tulerat quem Belgica tellus,  
mox animarum audax per freta misit amor.  
Antea Iosephum pia mater dixerat illum,  
sanctum nomen ei tunc Damianus erat.  
Hunc ad leprosus - neque eum sine Numine venti  
illuc appulerant - devia cymba tulit. 50  
Exsiliunt omnes visuri litus amoenum...  
O Damiane, cave! Retia tendit Amor!  
Progressos subito circumstat livida turba:  
horrescunt socii diffugiuntque retro.  
Tene, pater, te dira iuvant spectacula solum?  
Suntne tibi soli pectora dura satis?  
Attonitus, navis sociorumque immemor, ille  
stat pascitque oculos, nec satiari potest.  
Et iamiam comites maturant solvere funes,  
cum tandem maestus saepe vocatus adest. 60  
Non aliter matrem, visit quae carcere natum,  
improbis invitam ianitor inde rapit.  
Tum quoque, cum navis dudum vada salsa secaret  
coepissetque iterum nauta agitare locos,  
tum quoque in extrema visus considerare puppi,  
respectare frequens et lacrimare memor.

Quid, divinus Amor, quid tu non cogis amantes?  
Quo non, durus Amor, pectora casta rapis?  
Tu Damianum etiam (felix victoria!) vincis!  
O Damiane, cave! Retia stringit Amor! 70  
Tristitiam reducis secum mirantur amici:  
ignorant aegrum quam fera plaga domet.  
Qualis cervae fugax, rapuit quae in corpore telum,  
mox oblita fugae fessa recumbit humi,  
talibus languebat. Tacitus sua vulnera nutrit;  
nec labor oblectat, nec datur ulla quies.  
Erumpit tandem: "Quid cessas, o Damiane?  
Frustra te miseri, te vocat ipse Deus?  
Te vocat ipse Deus! tibi factus et ille leprosus:  
debita nunc ipsi solvere magna licet!" 80  
Undique concursant et multi multa reclamant;  
nota pericula docent: "Quo, periture, ruis?  
Anne putas, demens, contagia parcere sanctis?  
Nobilis haec non est, sed temeraria mors.

45 Te scriptis: Tu ed. pr.

67-68: nominativi pro vocativis: cfr Leumann-Hofmann-Szantyr, Lateinische Grammatik, II, § 37, b. δ.

36 versus durior cfr PROP. 1,5,32; 3,22,10.

42 reperisse = repperisse; prima syllaba mire correpta



Atque utinam detur celeri succumbere fati!  
Vives, infelix! Vivere pessima mors."

Frustra. Festinat fatalem scandere proram:  
exsillum ridens exitiumque petit.  
Salve, cymba, mihi! Quam ditia pondera vectas!  
Salve, cymba, mihi! Pectora magna vehis. 90

Deserto Damianum exceperat insula portu,  
laetus et in sacrum prosiliit ille solum.  
Non illum tristi qui funere deduxerunt,  
non illum comites flectere colla vident;  
quin memorant ipsum se compellasse locantem:  
"Vitae, care puer, iam labor, ecce, tuae."  
Forsitan et dederit procumbens oscula terrae  
omine sancto addens: "Occupo regna mea."  
Immo regna, pater, multo redimenda labore!  
Non sine vi cedes, imple lepra, loco, 100

at cedes! Quamquam dominari in corpora perges,  
impurum excutient pectora sana iugum!  
Ut cernunt solo peregrinum in litore solum,  
adrepunt quotquot reperere lepra sinit.  
Et iam voce procul rauca sic incipit unus:  
"Ergone, infelix, te quoque morbus edax...?"  
Accedens propius stupet hospitii integra membra  
et frustra turpes quaerit in ore notas.  
Arridens Damianus eis fratresque salutans  
cur veniat sanus, quis sit et unde docet. 110  
Ast aut illa iocos crudeles esse putarunt,  
aut timuere dolos et retulere pedem.  
Scilicet ignorant quo sancta insania mentes,  
quo valeat Christi cogere fortis amor.

Mox tamen insuetas blandis dant vocibus aures,  
ulcera mox gnarum taetra fovere sinunt.  
Mox dociles etiam submittunt corda momenti  
atque vocant vero nomine sponte "patrem".  
Hinc sensim miseri non desperare docentur;  
hinc Domino curam de omnibus esse parem. 120  
Quam credunt auide divini gesta magistri,  
cum cernant oculis discipulus quid agat!  
Ecce, Fides sollemni intrat nova regna triumpho!  
En, redit exsilio cum Pietate Pudor!  
Candida festiua comitantur Gaudia pompam  
et locus et Risus tum rediere simul.  
Insolitos discunt colles resonare cachinnos,  
non audita prius carmina sentit avis.  
Crudele exsillum cunctis fit patria felix  
caraque de duro carcere facta domus. 130

Laetus bis quinos exsul iam vixerat annos  
inter leprosos integere ipse putres,  
cum subito tristis per terras fama vagatur:  
"A, Damianum etiam pestis iniqua vorat!"  
O quotiens dictum est: "Non haec indigna videntur?  
Cur est omnipotens, si ferat ista, Deus?  
Haecine sunt igitur virtutis praemia tantae?  
Sic fidis famulis providet ille suis?"  
Stulti! Miles uti, comitum qui vulnera cernit,  
incolumem solum se rediisse dolet, 140

sic te iam pridem frustra, Damiane, pudebat  
fratribus infaustus te tolerare minus.  
Ut primas ergo maculas vitiliginis albae  
apparere videt, tristia signa mali  
prodit et ostentans filiis funesta tropaea  
"Nunc pater", exclamat, "denique verus ero!"  
Haec tibi, nec miseret, Damiane, haec horrida merces,  
horrida, non miseret, gloria debita erat!  
Non miseret, fateor, quantumvis ora venusta  
mox grassante lepra vulnera foeda geras; 150  
est etenim - vulgus reclamitet -, est ubi virtus  
in turpi veniat corpore pulchra magis.  
Non miseret, durus quamvis dolor ossibus haerens  
admovet urentes nocte dieque faces;  
singula solvuntur sensim putredine membra  
atque minutatim defluis in tumulum:  
non miseret, Damiane! O si mea territa virtus  
vel voto valeat te, Damiane, sequi!

Marmora quo nobis? Quo nobis sculptile robur?  
Phidias artes quid didicisse iuvat? 160  
Quo tandem plateas, quae poscant aera vacantes,  
mille nisi surgant signa, Iosephe, tibi?  
Heu vanas statuas, quae tot replevimus urbes,  
blasphemos lapides effigiesque sacras!  
Quin ultro properate basi descendere celsa:  
est huic leproso debitus iste locus!  
Haec depasta feris elephantis morsibus ora  
excutient turpi mollia corda situ;  
hinc incredula gens dediscet temnere Christum,  
discet adhuc Christi non senuisse crucem. 170

*Centesimus iam praeterit annus, ex quo Damianus De Veuster missionarius gravi et mortifero morbo affectus in insula Molokai Havaianorum naturae cessit. Cuius cum sacerdotis Flandrici, quem cognomine "apostolum leprosozum" appellarunt, memoria quo fortius vigeret a Belgis, ab Americanis, ab Havaianis hoc anno recoleretur, iustum mihi est visum elegetam a silentio vindicari eam, quae de vtro illo adversus leprosos beneficentissimo pacta est annoque 1890 in Certamine Hoeffftiano nummo aureo ornata.*

*Ipsi titulus est "Amor"; composuit autem Rudolphus van Oppenraaij Batavus idemque Iesuita anno 1856 natus, qui annis 1887-1890 dum litteris et artibus quae classicae vocitantur studet Lugduni Batavorum, tum alios, tum Hartmannum Ioannemque Van Leeuwen audivit professores eosque poetas, quibuscum Latine interdum collocutus esse dicitur. Id utut erat, Societatis Iesu socius juvenis victoriam illam in Certamine Amstelodamensi adeptus poetas suae aetatis principes, ut Esseivam Friburgensem (1823-1899) et Rosatum Bononiensem (1834-1915) neque optinans superavit; Pascolius vero, si duobus ante annis illud in Certamen descendisset (primum enim descendit anno 1892), nescio an Rudolpho van Oppenraaij praemium aureum non esset decretum...*

*Quod autem legistis elegidion, id, quamquam per paucis laborat vitis, quae in infimas paginas relect, permultis tamen pollet virtutibus; quarum illa mihi equidem videtur esse maxima, quod inest in eis versibus impetus quidam felix sive incitatio, quae efficitur quidem brevioribus narrationibus varie compositis,*

112 retulerunt: primam syllabam mtre correptam antmadvertas.

120 de omnibus: elisto durior.



# EX ORBE LATINO

## INSTITUTUM ROMANUM FINLANDIAE QUINQUAGENARIUM

Exeunte anno proximo dies festi semisaeculares foundationis cui nomen Institutum Romanum Finlandiae in urbe Helsinki triduo celebrati sunt. Quinquaginta annis ante sive die 4° mensis Novembris a° 1938° leges huius foundationis approbatae erant in sollemni coetu, cui inter celeberrimos viros minister publicae instructionis Finniae et legatus rei publicae Italiae intererant. Fundatoribus in animo erat institutum scientificum Romae condere, ut vita culturali Finno-romani cum antiquitate Romana artius coniuncta studia humanarum litterarum et artium in patria proveherentur. Pecuniam ad hanc rem efficiendam quidam negotiator dedit fortasse horum poetae Martialis verborum (epigr. 8,56,5) memor: "sint Maecenates, non derunt, Flacce, Marones".

Hoc consilium tamen altero bello mundiali irritum factum est. Anno autem 1950° res in bonum versa est, cum Finnis casu felici facultas villae Romanae, rarae pulchritudinis, emendae oblata est. Quae, nomine Villa Lante, aetate artium renascentium aedificata et pulcherrimis ornamentis decorata in colle Ianiculo, prospectu Romae subiacentis magnifico, sita est, de quo loco iam Martialis haec verba scripsit (epigr. 4,64,11): "hinc septem dominos videre montis / et totam licet aestimare Romam".

Villa Lante in forma renovata (domus enim privata fuerat) et in Institutum Romanum Finlandiae mutata d. 29° m. Apr. a° 1954° inauguratione sollemni in usum scientificum recepta est. Studia instituti in serie publicationum nomine Acta Instituti Romani Finlandiae iam multis voluminibus edita sunt. Professor Henricus (Henrik) Ziliacus, qui moderator instituti annis 1956-1959 erat, cum discipulis inscriptiones christianas verteres Musei Vaticani permissu summi pontificis Iohannis XXIII edendas curavit et ita viam futuris studiis epigraphicis aperuit. Professore Veikko Väänänen bis moderatore (1959-1962 et 1968-1970) tituli sepulchrales necropolis cuiusdam antiquae in agro Vaticano paulo ante reperiae auspiciis summi pontificis Pauli VI publicati sunt, ut alia eius studia taceam. Professor Iacobus (Jaakko) Suolahti, vir historiae antiquae peritissimus, qui instituto annis 1962-1965 praefuit, cum discipulis suis signis latericiis Ostiensibus investigandis operam dedit. Successor eius, Professor Patricius (Patrick) Bruun (1965-1968) sibi proposuerat quaestionem solvere, quomodo Etruria Romana facta esset. Thomas (Tuomo) Pekkanen, professor litterarum Latinarum, annis 1969-1972 munere moderatoris functus veterrima testimonia gentium Finnicae in litteris Latinis occurrentia investigavit. Deinde ad res



*Inter picturas mediani: Apollo et Diana*

instituti administrandas Henricus (Henrik) Lilius, vir in historia artium callens, electus est, qui in Villa Lante cum studentibus per quattuor annos notitiae disciplinae suae promovendae operam navavit. Studia epigraphica ductu Henrici (Heikki) Solin annis 1976-1979 renovata sunt. Margareta Steinby, directrix instituti anno 1979 exeunte facta, occasionem peculiarem investigationes archaeologicas in Foro Romano exercendi nacta est. Recentiores in Villa Lante directores fuerunt Veikko Litzen (1982-1985), professor historiae mediaevalis, et Unto Paananen (1986-), vir in lingua Latina nec non historia antiqua optime versatus.

In Villa Lante etiam concentus, expositiones, cursus diversi generis apparantur, ut res Finno-romani culturae Romae publice exhibeantur. Institutum Romanum Finlandiae ad scientiam et culturam Finno-romani peregre proponendam maximi momenti fuisse constat. Itaque in nomismate argenteo, quod ad honorem sollemni nuper celebratorum conflatum est, haec verba ad institutum Romanum Finlandiae pertinentia Latine inscribenda curavi: FENESTRA FINNORUM IN URBEM ET ORBEM.


Gregorius (Reijo) PITKÄRANTA  
Helsinkiensis  
Secretarius superior foundationis  
Instituti Romani Finlandiae.

# DE FERIIS LATINIS


Ioannes Carolus Rossi Galo suo s.p.d.

Scito me nuper Feriis Latinis Suitbertianis una cum filio natu minore aliisque adolescentulis interfuisse, qui adeo delectati sunt, ne dicam *ἐνθουσιασµῶν* correpti, ut nos qui studiis et aetate sumus proveciores spem omnem in iis ponere queamus. (...)


Carmen iocosum composuimus in Carinthia, ad




I Dies Na-ta-lis nunc a-dest  
II An-nus an-nis ad-di-tur  
III Tu ma-gis-ter o-mni-um



I Dies Na-ta-lis nunc a-dest  
II A-mi-ci-tia ex-tol-li-tur  
III Qui La-ti-nam di-sce-re



I Su-it-ber-te, felix sis  
II In-ter tuos di-sci-pu-los  
III Lin-guam ve-re cu-pi-unt



I Fe-lix sis pa-ter  
II Qui te di-li-gunt  
III Tu no-bis pa-ter.

sequitur p. 7

Sunt qui gaudeant invehere in aliorum facinorosos mores agendi et se offerant quasi custodes honestatis animique integritatis, at, pro dolor, in vita transacta vel adhuc in praesenti, in iisdem iniustitiis et dolis, etsi dissimulanter et tecte, implicentur. De hominibus eiusmodi solet dici: *Hanno la coda di paglia* (= habent caudam ex palea), quae ergo potest facile corripere igne et eos incendere. Ita, si quando istorum occulta pravitas innotescat, sua ipsorum verba eos damnant et ad ruinam adducunt.

De re quae videbatur esse difficilis factu, quae autem, si adsit ingenii sollertia, facile et celeriter geritur, dicimus: *Era l'uovo di Colombo!* (= erat ovum Columbi). Quae locutio oritur ex callido invento illius Genuensis navigatoris (Quint.) Columbi, qui quondam, cinctus amicis, rogavit quis valeret sistere ovum erectum. Cum nemo id assecutus esset (nam ovum semper inclinabatur et ruebat ad latus), ipse sumpsit ovum, imum eius contra mensam percussit et sic statuit ovum erectum.

De illo qui omnia, etsi minima, attentissime inquirat et perscrutatur, adfirmamus: *Costui cerca il pelo nell' uovo* (= iste quaerit pilum in ovo). Latini dicebant: "quaerere nodum in scirpo", cum sit notum ramulos iunci nullos habere nodos.

Eum, qui imprudenter excitat investigationes, a quibus oriri possunt consequentiae et ipsi periculosae qui inquisitionibus favit, admonere solemus: *Non svegliare il can che dorme!* (= ne excitaveris canem qui dormit), quam rem sic Latini declarabant: "crabrones non sunt excitandi".

Si quis nimis allicitur a puellis atque a matronis easque sectari pergit et temptare, ita eum indicamus: *E' un dongiovanni*, eum adaequantem notissimae personae praecleari dramatis, quod musicis modis instruxit Mozart. Latine dicamus: "nimis est mulerosus", vel "est insatius mulierum insectator".

Cum aliquis uno eodemque actu duo proposita perfecit, de eo adfirmamus: *Ha preso due piccioni con una fava* (= cepit duos columbos unâ fabâ). Haec notio multimode exprimitur Latine: "Una mercede duas res assequi", vel "duos parietes de eadem fidelia (quod est vas dealbatoris) dealbare", vel "uno in saltu duos capere apros".

*Mi hai messo una pulce nell' orecchio* (= in aurem meam pulicem immisisti); sic alloquimur eum, qui suis obliquis (Suet.) et ambiguis verbis nos inducit ad dubitandum de rebus quas rebamur certas vel de amicis, quos sinceros existimabamus. Latine sic eum alloquamur: "In mentem meam dubia ac suspiciones instillasti".

Quid mirum si ille semper consequitur successus? *Ha molti santi in paradiso* (= habet multos sanctos in paradiso). His verbis denotamus illum qui, familiari amicitia coniunctus cum viris magna praediti auctoritate, facile honorifica munera atque lucrosa adipiscitur, eorum fretus praesidio. Dicamus Latine: "ille amplissimorum virorum fruitur gratia et tutela".

Iam concludam. Ut a paucis exemplis, quae protuli, conicitur, nullibi, sicut in effingendis locutionibus "idiomaticis", elucet loquentium mentis vis "imaginifica" (cf. "televisificus") et audax usus troporum; in eis excudendis, rigor rationalis locum cedit liberae et ingeniosae et argutae facultati excogitationis et inventionis.



## DE PARTIBUS CONSERVATIVISTARUM EUROPAE

De principiis conservatismi quamquam recentiam egeramus compositione, tamen animadvertendum est in principio subsidiaritatis subsistere essentiam conservatismi: res publica enim quin e familia gente natione constet cum conservativistis dubium non sit, sequuntur subsidiaritatem, quae quamvis a Pio undecimo Papa prolata sit in publicum, tamen non est catholica quaedam opinio, sed omnium conservativistarum. Est enim persuasum conservativistis maximi momenti esse individuum hominem et secundo vel tertio loco sequi rem publicam; quocirca res publica civibus serviat necesse est, quia ex hominibus vel civibus constat, neque cives cogantur obtemperare legibus absolutis rei publicae quia primum numquam habet locum res publica, quae ut Ciceronem nostrum sequamur (De rep. I 25,39) nihil aliud est nisi "res populi" qui est "coetus multitudinis iuris consensu et utilitatis communione sociatus": populum igitur fundamentum rei publicae nominant conservativistae (et alii quidam...).

Conservativistae reformare et renovare cupiunt, si veri sunt conservativistae, quae reformanda videntur, sed renovant memores semper traditionum quas sequuntur.

In Britannorum insula nostris videmus temporibus moderante Margarita illa celeberrima muliere, quid efficere possint conservativistae: privatorum enim proprietates accrescunt. Quod cum statuimus, concedere oportet quosdam in paupertatem incidi, quoniam nihil agere volunt de libertate illis concessa. Qua paupertate ne opprimantur homines, conservativistae - neque socialistae neque liberalistae! - invenerant rationem vel methodum, quae appellatur "oeconomia et liberalis et socialis" - et Britannorum illam secuturos speramus viam conservativistas.

Conservativistae Britannii quod separantur ab aliis ex eo apparet, quod in Parlamento Europaeo cum collegis non cooperantur, sed propriam habent fractionem. Quo fit, ut in Parlamento Europaeo duae exstent fractiones conservativistarum, Britannorum dico et aliorum.

Ceteri enim conservativistae coniuncti sunt in Parte quae nominatur Europaea Populari eamve paene omnes sequuntur. Cui cum Aloisius Mock Austriacus praefectus sit, primum spectemus Austriae conservativistas. Illi hodiernis diebus cum socialistis moderantur rem publicam, id quod iam fecerant confecto bello secundo: quando haec cooperatio deleatur, nescimus. Tamen inter omnes constat Partem Popularem Austriacam vere sequi conservativistarum regulas vias rationes.

tae coniuncti in Unione quam vocant nunc moderatore Helmutio Kohl usi rei publicae praesesse videntur. E duobus vero consistunt partibus illi conservativistae, e Bavaris et e ceteris: quae ambo partes conservativistae appellantur et olim et nunc mortuo Francisco Josepho Strauss (Romanorum linguae amantissimol). In articulo enim septimo decimo programmatibus principium legimus subsidiaritatis quod tenent democratici christiani, in articulo vicesimo quarto de unione subsidiaritatis et solidaritatis legimus, et alio loco confirmant illi iustitiam non esse positam in aequitate (aliter enim essent socialistae): iustitia enim secundum conservativistas in eo consistit, quod aequalia aequaliter tractentur, inaequalia vero inaequaliter! Et in programme Unionis Christianae. Socialis inter alia agitur de traditione christianorum et de libertate personae: quae soli inest traditioni christianorum!

In Italiae regionibus prima fuit ineunte nostro saeculo Pars Popularis Italiana, cui successerat pars illa quae "Democratia Christiana" nuncupatur. Quae pars in omnibus usque adhuc - quadraginta novem! - regiminibus Italiae liberae rei publicae cooperata id egit, ut conservativistarum opiniones fierent reales; tamen confitendum nobis esse videtur illam partem et corruptione opprimi et ex eo imbecillam vel infirmam fieri, quod in quinque alas ut ita dicam divisa est. Qua oppressione quamvis opprimatur pars illa, tamen semper viva et activa est et certe illa esse videtur Italiae pars, qua maior non exstet.

In Gallia hodierna plures sunt partes conservativistarum: illi qui recte conservativistae nominantur et illi qui gaullistas se esse profitentur. Quod vero ad Galliae regimen attinet, "cohabitationis" vocabulo famoso utamur necesse est: erat enim tempus, quo rector rei publicae fuit socialista et moderator erat conservativista, cum hodie ambo sint socialistae. Sed id quod nostra interest: et in Gallia conservativistae sequuntur opiniones vias regulas quas descripsimus. Et hoc de ceteris conservativistis dicendum est, de Belgarum Danarum aliorum.

Conservativi igitur in complures partes divisi semper eandem sequuntur viam, traditionis dico renovationis reformationis. Et omnibus conservativistis persuasum est homines neque esse malos neque bonos, sed homines et virtutis esse participes et vitiorum: qua persuasione impediuntur conservativistae, quo minus optimistae irrationales fiant vel irrationales pessimistae, sunt enim ut ita dicam realistae.



# DE CULTU CIVILI EUROPAEO

Acroasis inter Ferials Latinas Nicaeae a° 1988° facta

Auditores carissimi! Avete, favete vos omnes qui adesse dignamini huic sessioni.

Nunc pauca de cultu civili humanoque Europaeo vel de aspectibus quibusdam illius cultus civilis. Ceterum, si vobis placet, interdum colloquium inter vos et me instituere velim et initium capiens hanc quaestionem obeam: quid significat cultus civilis humanusque? Quanam est cultus civilis humanique definitio? Mea opinione cultus civilis summam signorum monumentorumque ab ingenio artibusque editorum vel signorum omnium artium litterarumque amplectitur. Cur de signis loquar ex me quaeritis.

Mihi in mentem venerat istud axioma, istud schema linguarum scientiae quod vos omnes certe scitis: locutor (e.g. poeta, sculptor, dispositio cinematographicus etc.) >>> (edit) >>> nuntium de re... (id est signa vel monumenta, quia in scientia linguarum unumquodque verbum, unusquisque gestus, unaquaqueque linea signum quoddam est!) >>> (accipit) >>> viator fortuitus (lector, auditor, spectator etc.).

Historia nos docet illam summam signorum quantitate qualitateque crescere usque ad altissimum fastigium perveniendum et tum paulatim aut abrupte diminui. E.g. cultus civiles Aegyptiorum vel Indianorum Mayarum vel aliorum populorum proveniunt et tum evanescent.

Illi quoque cultui civili Romano tale fere fatum sorsque accidisset, nisi... et hic permittatis me vobis imaginem huius evolutionis quandam delineare quam aliquando fecerim:



In multis Europae terris iam ante adventum Romanorum arces oppidaque in montibus collibusque sita exstiterunt. Tum sub imperii Romani pace incolae haec oppida tuta sed angusta contractaque reliquerunt, de montibus descenderunt in planitiem in qua municipia urbesque amplas, florentes, templis, aquae ductibus, amphitheatris, thermis aliisque domibus magnificis instructas condiderunt aedificaveruntque. Tertio autem, quarto, quinto, sexto, etiam septimo saeculo p. Chr. n. haec municipia eversa deletaque sunt, reliqui cives rursus in arces supra colles montesque ascenderunt, reverterunt, fugerunt, ubi pauperes timidique vixerunt...

Tale exemplum in provincia Narbonnensi in oppido pulchro Vasionis (Vaison la Romaine) vel in oppido c.n. "d'Ensérune" apud Biterras (Béziers) sito explorare potestis.

Ille igitur maximus cultus civilis Romanus eventibus viribusque sive interioribus sive exterioribus paene exstinctus esset, nisi per saecula servatus esset a paucis monachis atque viris sapientissimis ut illo

Cassiodoro, qui quasi ignem cultus custodiverunt ut virgines Vestales usque ad imperatoris Caroli Magni tempus, cum multi ignes culturales denuo accensi sunt, et, ut in Vestalium imagine maneam, semper oleum pro igne culturali omnibus saeculis latinitas erat. Ut tum aliam effigiem adhibeam, octavo saeculo certe rursus flos cultus vere Europaei Latiniqve vigere coepit, fructus tulit per saecula et non iam deleri potuit usque ad dies hodiernos. Sed quis aut qualis est hodie ille cultus civilis Europaeus? Mea sententia in duas partes dividi potest:

- ex hac parte nobis occurrunt: varietas, multiplicitas, pluralismus cultuum, quos in Europae regionibus nationibusque invenimus (et hic regiones ex aequo iudicandae sunt, quod e.g. XII° saeculo in carmine Rolandi ("La Chanson de Roland") regiones veteres Europaeae vel earum populi et non nationes hodiernae appellantur!)

- ex altera parte eminet: cultus civilis Europaeorum communis. Sed quanam sunt ista communia?

De his rebus Ortega y Gasset quidam dicit: "Si hodie bilanciam possessionum menti nostro propriarum faceremus - sunt theoriae et normae, optata et rerum suspiciones -, id appareret plurimum (earum possessionum) non e quacumque patria nostra (nationali), sed e fundamento (vel fundo instructo) communi Europaeo exortum esse. In nostrum omnium interiore Europaeus praeponderat ante Theodiscum, Hispanum, Francogallum; quartae partes (quattuor quintarum partium) rerum quas in animo menteque nostro possidemus bona Europaeis communia sunt."

Possumusne adsentiri Ortega y Gasset? Ad communia supra dicta reveniens complures magni momenti res (his communibus inclusas) vobiscum breviter commemorare velim:

1° Philosophiam a Thaleti Heraclitoque usque ad hoc saeculum nostrum pertinentem et efficacem (sed accuratius eam examinare nolo neque hic possum);

2° Religionem christianam (de qua quoque hic dicere non possum);

3° Instituta Romana legesque (de his quoque hic non loquar);

4° Scholas clericas et studiorum universitates: primas prioresque universitates in urbibus Fes (a° 859°), Cordoba (a° 940°), Cairo (a° 972°) in terra Arabica reperimus. Tum autem Parma (a° 1065°), Salerno, Bononia (a° 1119°), Lutetia Parisiorum (1150°) etc. sequuntur. Deinde saeculis succedentibus verus cultus technicarum et scientiarum purarum applicatarumque exortus est. Paulatim societates technicae scientiarumque ut illa societas regia Anglica quam I. Newton participavit conditae sunt. Et

ille cultus erat Europaeus usque ad saeculum undevicesimum, quo saeculo autem quasi internationalis factus est.

5° Artes dictas "pulchras" inque tota Europa communiter exercitas (les beaux arts / die Schönen Künste). Quo in loco inter musicam, picturam, architecturam, artem statuas et simulacra fingendi, artem supellectilem fingendi (meubles de style), litteraturam discernamus. Musica Europaea e temporibus mediaevalibus ad dies nostros solum tradita pictura Europaea iam ex antiquitate exstat. Sitis modo memores picturae Pompeianae aut Byzantinae (e.g. Ravennae) aut pavementorum tessellatorum in quae oculi nostri ubique Europae incidunt. Et quae mira structurae genera architectura Europaea extulit quae generibus Graeco, Romano, Byzantino, Romano, Gothico, Renascenti, Baroco, Conchato etc. nihil in ullo modo cedit litteraturae quae epochis vel aetatibus et insuper generibus vel specibus earum epocharum splendet ut poesi, carmine epico, fabulis, spectaculis scaenicis (Plauti Bacchides his diebus legens credo me Molierem legere), arte cinematographica (nunc praecipue in televisione facta. Quo in loco cogitate quae differentia sit inter genus Americanum et genus Europaeum pellicularum!)

6° Democratiam Europaeam quae etiam pars cultus civilis nostri est! Hic non theorias de civitate perfecta elaboratas (ut Platonis, Polybii, Ciceronis, Augustini aliorumque) designare vel disserere possum, sed satis mihi habendum est vobis demonstrare cultum civilem Europaeum etiam in eo esse, ut Europaei illas theorias vel earum partes ad effectum adducere potuerint. Quanto autem labore et qua evolutione hic cultus et haec democratia nobis communes orti sint, hae sententiae apud Prof. Werner Weidenfeld (Mogontiaci) repertae<sup>1</sup> bene exponunt: "Ex antiquitatis tempore imago circuli cuiusdam clausi - imago orbis terrarum Graecorum Romanorumque populis barbatis circumdati - ideas vel opiniones hominum formabat... Ecclesia et latinitatis principium culturale cum ea coniunctum imperio Romano occidentali dilabente unitatis vinculum spiritualis fingunt et nectunt. Quo facto christianitatis idea mediaevalis quoque characterem circuli clausi adfert praesertim mundo Islamico opposito. Temporibus sequentibus Europa - saepe "Occidentem" significans - debilitate infirmitateque ab invasione Islamica provocata non impediens quasi "sphaera Latina" Romanicorum, Germanicorum, Slavicorum et aliquot aliorum populorum - diversa sphaerae Graecae Latinaeque - sive culturaliter sive religiose magis magisque delineabatur... Illa et aliis quoque aetatibus elementa huius coniunctionis nunc delineatae vere apparent in comprobatione generali atque concursu generum ab artibus litterisque effectorum. Formae et figurae artium, poesis, litterae (disciplinae scientiarum), philosophia (vel haec rerum naturae contemplatio) in finibus uniuscuiusque nationis definiri coarctarique umquam non poterant.

Initio huius nostrae epochae vel recentis aetatis - una cum Lutheri reformatione et itineribus ad novas extra Europam terras inventendas susceptis et aetate redintegratorum studiorum antiquitatis ("humanismi") - notio Europae e sermone eruditorum doctorumque in sermonis cottidiani usum transit sine

tamen nimiam vim et effectum propagando... Recentis aetatis Europa non iam traditionale christianitatis spatium culturale se solum intellexit. Contentiones laboresque rei publicae institutis legibusque democratice creandae, systema (politicum) aequae civitatum Europaearum condicionis servandae, praecepta conflictibus ratione solvendis quaerenda, perspectiva communitatis supranationalis (nationes transeuntis) se obtulerunt quasi earum tendentiarum principalium metas vel locos fixos. Haec quidem omnia simultates bellaque non excluserunt. Duorum bellorum mundanorum aetate epocha qua Europa suarum rerum studiosa se solam ut mundi medium intuebatur ad finem suum pervenit. Europae pluralismus contextibus amplioribus innasci incipiebat..." Si huius pluralismi, qui particularismus vel "inveteratus nationalismus", ut illud Gai Licoppe<sup>2</sup> citem, interdum apparet agitque, fortunam sortemque critice spectamus, Iohannes Monnet rem falsam certe non docet dicens necessitatem (oeconomicam etc.) esse optimum "foederatorem" (ad civitates Europaeas coniungendas). Et observate sub hoc aspectu id quod accidit a° 1992°! Ceterum speremus fore ut Europa et cultus civilis suus non modo museum magum futuri sint (ut Iapo quidam nuper modo amabili suggessit), sed etiam hodie exemplum aliis populis praebeant e.g. Communitatis Europaeae administris nunc decernentibus partes principales in mundi ambientis tutela Communitati Europaeae suscipiendas, ut lumen et exemplum omnibus nationibus detur<sup>3</sup>.

Inter eos qui ante secundum bellum mundanum de cultu civili Europaeo disseruerunt, etiam Paulo Valéry poetae obviam occurrimus a° 1924° dicenti suo iudicio illos populos omnes esse Europaeos qui historiae decursu temporum expositi essent his tribus viribus quae sint administratio Romana et christianitas et disciplinae Graecae.

Quid autem homines hodierni de his rebus deliberant? Suntne mutationes an progressus ideae Europaeae? Anno 1988° haec idea inter homines politicos iam adeo accipi videtur, ut - et audiamus et admiremur - etiam Viridum vel Prassinorum qui generaliter usque ad hunc annum Europam ignorare vel recusare consueverunt ipsi duces velut Sergius Andreis natione Italica, Petrus Juquin natione Francogallica, Udo Knapp natione Theodisca de cultu civili Europaeo disputent Petro Juquin confirmante "Europam esse cultus civilis occidentalis medium et filium directum culturaliter ingenioque ab antiquitatis Athenis per humanismum Italicum et revolutionem Francogallicam ad hodiernum cultum civilem democraticum extendi posse."<sup>4</sup>

Quibus quoque verbis iterum intellegitur democratiam nostram a cultu civili Europaeo tradito difficile separari posse. Quamquam insuper haec democratia nostra hodie oculis subicitur condicio sine qua non ulla civitas ad Communitatem Europaeam admitti potest (recordamini dictaturas Germaniae, Italiae, Graeciae, Hispaniae in democrattas transformatas), tamen non facile est eritque, ut in omnium civium opinione, conscientia, memoria et vera democratia Europaea et cultus civilis Europaeus firmiter inhaerentes flant. Nam multi trecentorum millionum cives non sunt conscii cultus civilis Eu-



ropaei communis et hic negotium magnum necessariumque mass-mediis (sive instrumentis communicationis socialibus) praestandum est.

Cur de vera democratia Europaea dicam interrogabit. Compluribus de causis: primo illa democratia communis nondum existit, sed tantum adumbratio vel commentarium a Parlamento Europaeo adoptatum (Spinelli commentarium). Deinde elementa quaedam huius democratiae his annis modo inveniuntur aut emendantur in singulis nationibus. E.g. elementa foederalismi vel regionalismi quae in Germaniae re publica foederata ad effectum adducta esse videntur. Ea prosperitas oeconomica culturalisque a foederalismo peracta non somnia solum excitat in aliis regionibus, sed nunc etiam imitatores executoresque ut in Hispania et nuperrime apud Belgas producit generatque (nonnullis enim mensibus ante civitatis Belgicae constitutio a parlamento suo mutata est et tres regiones magna autonomia praeditae creatae sunt). Sed sunt etiam alia facta vel phaenomena evolutionem versus democratiam cultumque Europaeum promoventia velut oppida sororia et regiones sororiae quae consilio pagorum ac regionum Europaeo comprehensae et complexae sunt (R.G.R.E.: Rat der Gemeinden und Regionen Europas / C.E.C.R.: Conseil Européen des Communes et Régions), aut ut omnia quae pertinent ad "civium Europam", ut hac notione nova utar qua complexi sunt commeatus diploma sive syngraphus viatorius Europaeus (passeport européen), fines littera "E" viridi aperti, periegesis (tourisme) praecipue iuventutis, opus iuventutis Francogallicum Theodiscumque, aerarium Europaeum ad regiones augendas destinatum, electiones Europaeae, pelliculae televisionis Europaeae, Unio Europaea Federalistarum (U.E.F.) motioque Europaea etc. Vincula igitur quam plurima ad consensionem concordiamque augendam civibus Europaeis efficienda sunt. Tale vinculum etiam nostra lingua Latina praestat ut videtis et in Feriis Latinis et in circulis Latinis et in periodicis Latinis!

Sine dubio his annis etiam idea illius Mercatus Interni futuri impetum Europae cultuique civili suo ingentem gignit. Inde credere possumus Europam in via bona rectaque esse. Tamen in fine adiungere volo illud Gai Licoppe: "(Civibus Europaes) anima singularis necnon communis necessaria est ad disparia membra corporis Europaei apte coniungenda et una movenda. Ad patriam novam condendam Europaei egent novo mytho, qui necessario e patrimonio Latino hauriendus est, cum id solum tum ad cunctos cum ad singulos pertineat. Praeterea nulla gens sermone Latino offenditur..."<sup>5</sup> Dbd.

(1) Prof. W. Weidenfeld: "Europa begreifen" in: Zeitfragen der Bayer. Landeszentrale für polit. Bild., München 1984, p. 9.

(2) Dr G. Licoppe: "Notior popularibus nostris fiat latinitas viva" in: Melissa n° 10, Bruxelles 1986, p. 2.

(3) Passauer Neue Presse n° 273, 26/11/88, p. 8.

(4) W. Raith: "Europa in bottiglia" in: Il Manifesto / domenica 23 ottobre 1988, p. 12.

(5) cf. supra (2).

sequitur p. 9

*fulcitur autem vartis et multiplicibus artificis rei narratae admodum consentaneis. Quae dicam artificia, vel puer conspiciat; idem tibi digito ostendat res humana specie indutas (v. 30, 126), apostrophas (v. 43-44, 77, 89-90), interrogationes oratorias (v. 55), polyptota (v. 32, 81, 103), ellipses (v. 87), interruptiones sermonis (v. 106), verba oxymora (v. 86, 88, 145), anaphoras (v. 27-28, 78-79), verborum geminationes (v. 4), agnominationes (v. 34, 69), allitterationes (v. 42, 62), interjectiones (v. 27-28, 37, 44). In verbis autem deligendis minus est elaboratum quam in ipsis collocandis componendisque (v. 13, 37, 92, 125).*

*Quid ergo mirum, si carmen et propter artis lumina et propter argumentum, quod sibi poeta proposuit, typis ter est excusum? Si ter, quantum quidem scio, Nederlandice versum est? Immo in commentariis quibusdam celeberrimis symbole litteraria est edita, qua elegidii virtutes sunt illustratae. Dein vero versus illi paulatim sunt oblitterati. Neque ipse poeta carmina maiora in lucem edidit, non quo vena eius exaruisset, sed quia negotiis obrutus vix hiscebat. Multos enim per annos Latine Graece Nederlandice edocuit adulescentes; inde ab anno 1915 Societatis Iesu praeposito generali auxilio adfuit; in Bataviam redux annum agebat octavum et septuagesimum; obiit autem Hagae Comitum anno 1936.*

#### Index bibliographicus.

- Editiones: Amor. Carmen elegiacum Rudolphi Van Oppenraay Bemmela-Gelri in Certamine Hoeufftiano praemio aureo donatum (Amstelodami, 1890); Amor. Carmen elegiacum... aureo ornatum iterumque editum ut emolumento esset leprosis qui sunt in insula Molokai (Lugduni, 1890); M. van Everdingen (ed.), Damiaan De Veuster. Amor. Carmen... aureo ornatum. Met eenige andere Christelijke gedichten (Latijnsche Christelijke Schrijvers, VIII) (Noviomagi et Ultralecti, 1936), p. 4-11.

- Versiones: Liefde! Huldezing aan Pater Damiaan (Jozef De Veuster) apostel der melaatschen. Trouw vertaald uit het Latijn Amor van Pater van Oppenraay s.j. door O. Loosen (Gandae, 1891); anno 1899 versio auctore Patre Reys s.j. edita est in Jaarboekje van Alberdingh Thijm; anno 1904 versionem metricam (eamque ineditam, ni omnia fallunt) confecit Pater van Vessem s.j.

- Commentationes et existimationes: O. Loosen, "Amor. Letterkundige studie", Het Belfort, 6 (1891), 345-355; 403-417; 7 (1892), 33-39; M. Th. Hillen, Commentatio de vita, doctrina, facultate Nederlandorum, qui post Peerlkampii librum emissum carmina Latina composuerunt... (Zutphaniae, 1924), p. 82-84; Stimmen aus Maria-Laach, 39 (1890), 321-322; Précis historiques. Mélanges religieux, littéraires et scientifiques, 39 (1890), 362-364).

- De vita Patris van Oppenraay: K. Derks, Rudolf van Oppenraay s.j. Levens-schets (Uitgaven van het Geert Groote Genootschap, 670) (Marioburgi et Silvae Ducis, 1953).




# LATINE LOQUI... UBI CONDISCATUR

## SEMINARIA LATINA

Dr P. Caelestis Eichenseer hoc anno moderabitur duo seminaria, ubi sua solita via iucunde docebit sermonis Latini usum cottidianum:

**11 - 18 m. Augusti a° 1989°, Vestendae (Westende) in BELGICA**



ad litus maris harenosum, ubi pernoctatio victusque in hospitio communi relative parvi constant.

Invitantur magistri, alumni, discipuli, omnes linguae Latinae cultores, praesertim qui censeant hanc linguam optimum, quin etiam necessarium, unionis vinculum fore inter gentes Europaeas.

Ad quod participandum, interrogandus est:

Dr Gaius LICOPPE  
Avenue de Tervueren, 76  
B-1040 Bruxelles  
Tel. 02/734 55 42

**20 - 26 m. Augusti a° 1989°, Morsaci (Morschach) in HELVETIA**

qui locus saluberrimus aliquibus centum quinquaginta metris supra lacum "Quattuor Regionum" situs est, unde montium clivi bene accessibiles sunt maximeque mirabilis prospectus ad lacum ipsum et ad montes circumiacentes praebetur.

Ad quod participandum, interroganda est:

Drix Sigrides ALBERT  
Universität des Saarlandes  
Fachbereich 6.3  
D-6600 SAABRÜCKEN 11

## NOVISSIMUS NUNTIUS EX

**FINNIA** : seminarium latinitatis vivae instituetur Granivici (Jyväskylä) in Finnia per biduum diebus 3°-4° m. Iulii a° 1989°, auspiciis Administris Publici Educationis. Ad plura comperienda interrogandus est:

Prof. Thomas PEKKANEN  
Adolf Lindforsin tie 3 B 74  
SF-00400 HELSINKI 40

## ITER LATINUM

**21 - 28 m. Iulii a° 1989°**

Exeunte proximo mense Iulio Fundatio Melissa instituit peregrinationem Latinam in Italiam Septentrionalem ubi sodales Itali nos in nonnullis locis singularibus ducent. Comitante Dr P.C. Eichenseer, iter fiet seminarium ambulans. Haec pulcherrima loca lustrabuntur: Mediolanum, Brixia, Sirmio, Lacus Benacus, Verona, Mantua, Bononia, Parma, Castellum Arcuatense, Cremona, Placentia, Cartusia Papensis, Papia.

Ad quod participandum interrogandus est:

Gaius LICOPPE  
Avenue de Tervueren, 76  
B-1040 Bruxelles  
Tel. 02/734 55 42

## FERIAE LATINAE

**22 - 29 m. Augusti a° 1989°, Nicaeae** habebuntur in Dioecesis Nicensis Seminarii Aedibus, unde pulcherrimus prospectus praebetur ad mare Mediterraneum. Schedae inscriptionis rogandae sunt a:

Clément DESESSARD  
Résidence des Collines, C 9  
Rue Léo Brun  
F-06210 Mandelieu  
Tel. 93 49 01 91

## SCHOLAE FRISINGENSES

**28 m. Iulii - 2 m. Augusti a° 1989°.**

Hae scholae omnibus, qui Latine loqui aut ipsi solent aut discere cupiunt, opportunitatem commodissimam huius artis exercendae praebent. Viginti fere scholarchae diversissima argumenta in variis scholis tractabunt.

Schedae inscriptionis petendae sunt a:

Prof. Dr Wilfried STROH  
Universität, Institut für Klass. Philologie  
Gesschwister-Scholl-Platz, 1  
D-8000 München 22.

## SEPTIMANA LATINA

**13 - 19 m. Augusti a° 1989°.**

Mechtildis Hofmann et Robertus Maier hoc anno primum instituent Septimanam Latinam Amoeneburgi in septentrione Hassiae, ad quam imprimis iuvenes et adulescentes invitant. Interrogandus est:

Robertus MAIER  
Dresdener Strasse, 10  
D-6070 Langen.